Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31265
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



Quoniam me et eo exaudiam eum eripiam eum et glorificabo eum longitudo dierum adimplebo eum ℣ Quia ad me adiunxit al. Oratio Deus qui etiam tua annua festa me observatione purificas pro familiae tuae ut quod ante obtinere abstinendo nituntur hoc bonis operibus exequantur ℣ Ad Corinthios

Fratres. Hortamur vos ne in vacuum gratiam dei recipiatis Ait enim Tempore acceptabili exaudivi te et in die salutis adiuvi te Ecce nunc tempus acceptabile ecce nunc dies salutis Nemini dantes ullam offensionem ut non vituperetur ministerium nostrum Sed moribus exhibeamus nos metipsos sicut dei ministros in multa patientia In tribulationibus in necessitatibus in angustiis in plagis in carceribus in seditionibus in laboribus in vigiliis in castitate in scientia in longanimitate in suavitate in spiritu sancto In caritate non ficta in verbo veritatis in virtute dei Per arma iustitiae a dextris et a sinistris ℣ Per gloriam et ignobilitatem per infamiam et bonam famam ℣ Ut seductores et veraces Sicut qui ignoti et cognoscimur Quasi morientes et ecce vivimus ℣ Ut castigati et non mortificati Quasi tristes semper autem gaudentes Sicut egentes multos autem locupletantes Tanquam nihil habentes et omnia possidentes GR

Angelis suis de te mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis ℣ In manibus portabunt te ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum Tract. Qui habitat in adiutorio altissimi in protectione dei celi commorabitur ℣ Dicet domino susceptor meus es tu et refugium meum deus meus sperabo in eum ℣ Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium et a verbo aspero ℣ Scapulis suis obumbrabit tibi et sub pennis eius sperabis ℣ Scuto circumdabit te veritas eius non timebis a timore ℣ A sagitta volante per diem a negotio perambulante in tenebris a ruina et a dimonio meridiano ℣ Cadent a latere tuo mille et decem milia a dextris tuis tibi autem non appropinquabit ℣ Quoniam angelis suis mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis ℣ In manibus portabunt te ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum ℣ Super aspidem et basiliscum ambulabis et conculcabis leonem et draconem ℣ Quoniam in me speravit liberabo eum protegam eum quoniam cognovit nomen meum ℣ Invocabit me et ego exaudiam eum cum ipso sum in tribulatione ℣ Eripiam eum et glorificabo eum longi